



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XIX. In qua de Personis ad Confessionem Sacramentalem
faciendam obligatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

spendendum assensum vel dissensum non tamen sufficienti ad prudenter iudicandum, seu pro formando iudicio tale dubium non potest deponi, cum desit motivum sufficiens ad prudenter assensum vel dissensum, adeoq; intellectus tali casu manet suspensus & propriè dubius, & per hanc responsionem meam datur intelligi, quòd dubium propriè dictum non semper deponi possit.

QUÆSTIO XIX.

An qua de Personis ad Confessionem Sacramentalem faciendam obligatis.

Vicar. **Q**uæ personæ obligantur ad faciendâ Confessionem Sacramentalem?

Sac. Illæ, quæ mortale aliquod peccatum post realem Baptismi susceptionem commiserunt, quòd manifestè constat tum ex cap. *omni utriusq; sexus*: in Concil. Lateran. tum ex eo, quòd *Sac. Conc. Trid., Sess. 14. c. 2.* dicat,
bap-

baptisatos, qui se crimine aliquo contaminaverunt ante Pœnitentiæ Tribunal ex CHRISTI Domini instituto comparere debere, ut à peccatis liberentur.

U. Ergo hoc præcepto non ligatur innocens, & in gratia confirmatus?

S. Non, solùm enim (utì respondi) ligantur baptisati habentes conscientiam peccati.

U. Nonnè præcepto de suscipiendo Sacramento deletivo peccati ut Baptismo ligantur etiam innocentes & justii?

S. Adverto discrimen inter Sacramentum Pœnitentiæ & Baptismi, prioris enim essentia constituitur ex confessione proprii peccati, & dolore tanquam materia, posterioris verò ex ablutione personæ baptisandæ, quæ etiam in persona immuni ab omni peccato salvari potest.

U. Quomodo?

S. Hoc modo: quia esse potest ablutio absq; deletione alicujus peccati contracti, dicere volo, forma Baptismi

L s

po-

potest habere veritatem, licet actu non tribuat remissionem peccati, nec donum primæ gratiæ, sed præhabitæ gratiæ augmentum, atq; ita respectu personæ immunis ab omni peccati ly *Baptismo*, seu *ablusio* idem sonaret, ac do tibi Sacramentum habens virtutem deletivam peccati quantum est ex te, si es ses capax gratiæ peccati remissivæ, aut illâ egeres, sed quia es gratiâ jam prædita vel etiam gratiâ plenâ (prout fuit ab instanti suæ conceptionis Sacratissima DEI Genitrix in finem satisfaciendi præcepto generali Filij sui baptisata) hinc confertur tibi verum quidem Baptismi Sacramentum, quia in Nomine SS. Trinitatis cum debita materia, forma, & intentione, ejus tamen effectus non est remissio peccati, sed alius, ut augmentum gratiæ, character &c.

V. Responsio tua contraria est Concil. Constantinopol. confitenti unum Baptisma in remissionem peccatorum;
item

item Florent. assignanti Baptismo pro effectu remissionem omnis culpæ originalis & actualis.

S. Concilia loquuntur juxta modum ordinarium, & dispositionem subjecti, id est, quantum est ex parte Sacramenti, si videlicet aliquid inesset, à quo anima esset abluenda, non autem volunt hoc Sacramentum non posse rite conferri, nisi cum tali effectu, qui est peccati remissio; quia hoc Sacramentum non est cum uno duntaxat effectu, qui est remissio culpæ, sed etiam cum alijs, qui videri possunt apud SS. PP. *Chrysostrum*, & alios.

V. Sit de hoc satis: dixisti præcepto Confessionis Sacramentalis ligari baptifatos habentes conscientiam peccati, putasne ad infideles hoc præceptum non extendi?

S. Repeto verba Sac. Concil. Trident. definiens Sacramentum Pœnit: esse institutum à CHRISTO pro ijs, qui post Baptismum in peccata labuntur: cui

doctrinae conformia sunt illa, quae habet Scot^o in 4. dist. 17. Q. unica, artic. 2. ubi quaerenti, quisnam sit ille adultus, qui sacramentaliter confiteri tenetur? respondet illum esse, qui per peccatum mortale est extra navim Ecclesiae, in qua cum nunquam fuerit infidelis, nequit dici extra eandem per tale delictum, esto sit extra illam per originale.

U. Negari non potest praecipuum confessionis esse Divinum & universale, igitur obligat omnes etiam infideles?

S. Obligat utique omnes qui sunt capaces, infideles autem defacto hujus Sacramenti sunt incapaces juxta statutum ordinem Sacramentorum, utpote Baptismo carentes; neque Ecclesia defacto judicat alios, praeter illos, qui per Baptismi januam in ipsam sunt ingressi.

U. Ergo pueri, qui per hanc januam sunt ingressi ad Confessionem Sacrament. sunt obligati?

S. Affirmo, si ad usum rationis pervenerint.

nerint, sibiq; conscij fuerint peccati mortalis, in tali enim statu dicendi sunt adulti quoad præceptum confessionis faciendæ.

U. Peto mihi assignari aliquam determinatam ætatem in pueris, in qua ad confessionem obligantur.

S. Lego apud D. Antonin. 2. parte Tit. 9. n. 2. masculos obligari ad Confessionem completo anno decimo cum dimidio, fæminas verò aão undecimo cum dimidio, apud alios autem cõpleto septennio: ast placet doctrina subtilissimi Doctoris docentis, non posse determinatam ætatem annorum indicari nobis, an puer sit obligatus ad confessionem? in multis enim pueris malitia supplet ætatem: quare ad cognoscendum, an puer ad peragendam Confessionem Sacrament. sit obligatus? in hærendum judico huic regulæ Scoti: quando scilicet puer aliquis instructus & ordinatè interrogatus percipit distinctè, quod bonum seu justum, & quod

quod malum seu injustum est? respondendo ad ordinatas interrogationes ordinatè, non secùs, ac aliquis adultus, tunc subiacebit obligationi confitendi Sacramentaliter.

V. Juxta hanc regulam concludo, puerum, si ante septennium perfectum usum rationis prodat, teneri ad confessionem annuam.

S. Certè concluditur bene, si puer ut talis conscius peccati mortalis sibi fuerit, imò existimo consultum esse, ut puer, in quo ante septennium usus rationis jam clarè elucescit, suo Pastori sistatur, & illi statum conscientiae declaret, ab eoq; in necessarijs scitu instruat; hanc responsionem meam fundo in verbis Conciliorum *Lateran. de Penit. & remiss. & Trident. Sess. 14. c. 5. de reformat.* docentium, omnes fideles, cum ad aões discretionis pervenerint, si mortali peccato graventur, obligatos esse confiteri: sic autem est, quòd Fidelis censeatur ad annos di-

discretionis pervenire, quando usu rationis präditus inter bonum & malum distinguere valet, quod colliget prudens Confessarius, non respiciens ad aetatem, sed ad pueri ingenium & conditionem, ergo &c. Palao Tract. 23. Disp. unicâ, punc. 20. §. 2. n. 1. (quidquid dicat *Sancius* non habens aliud in oppositum, quàm quòd leges positivæ attendant ad ea, quæ comüniter contingunt, & consequenter, cum comüniter non contingat usus rationis ante septennium, illum, cui ex accidenti advenit, non obligent ad Confessionem Sacrament.)

V. Quid autem resolvit in assumpta materia circa mutos?

S. Illud quod lego apud Scotum in 4: dist: 7. Q. un. videlicet: mutos de Jure Divino ad hoc Sacramentum teneri.

V. Nonne legisti in Florentino, quòd materia hujus Sacramenti sit oris confessio?

S. Adverto Concilium loqui de ritu
or-

ordinario confitendi, & obligatione, quâ ligantur potentes loqui, non verò universaliter, & licèt respectivè ad mutos non possit haberi oris confessio, potest tamen haberi aliud æquivalens manifestativum peccatorum, ut nutus vel alia signa sensibilia, quibus ut expressivis mutui consensûs, perficitur quoq; Sacramentum Matrimonij: neq; institutio Sacramenti Pœnitentiæ aliud postulat, quàm ut Pœnitens Judici causam suam manifestet, quæ manifestatio fieri potest, non tantùm per vocem humanam articulatam, sed etiam per signa sensibilia, & ità servatur in praxi cum moribundis non potentibus loqui, exhibentibus nihilominus signa contritionis.

U. Putasne Theologos unanimiter cõsentire, quòd moribundus non potens loqui, sed tantùm nutibus & signis petens absolvi, sit capax Sacramenti Pœnitent. ?

S. Scio quosdam, ast paucos negativam

vam tradere sententiam, ego autem amplector illam communissimam, atque Authoritati Conciliorum inixam, quam tradit D. Angelicus in 4. Dist. 21: Q. 2. art. 1. *ad primum* & post ipsam alij plurimi: & dico sufficere signa doloris ad impendendam tunc Pœnitenti absolutionem.

U. Quâ ratione?

S. Hac, quia tunc impendi potest absolutio Pœnitenti, quando exhibet sufficientem materiam, supra quam cadat absolutio, sed sic est, quod non potens loqui, & exhibens signa doloris exhibeat materiam sufficientem, exhibet namq; dolorem, & etiam peccata, eo modo, quo tunc manifestari possunt, nempe mediatè & per aliud, id est per dolorem, qui utpote conceptus ex peccatis commissis, manifestat etiam peccata saltèm in confuso, & implicite, nec illa signa solùm ostendunt voluntatem confitendi, sed etiam sunt æquivalenter confessio, quando-

doquidem Pœnitens per illa signa se
dolorosè accusat, & prout potest, co-
natur manifestare peccata, ergo &c.

U. Colligo ex hoc responso, quòd in
tali casu Pœnitentem absolveres abso-
lutè, & absq; conditione?

S. Ut quid adhibere conditionem, quã-
do non est causa dubitandi de suffici-
entia materiæ, in casu autem non
posset dubitari, nam adest certa mate-
ria proxima sensibilibiter manifestata.

U. Sed non est certa materia remota.

S. Etiam hæc: estò enim per dolorem
manifestentur peccata in confuso, ta-
men rectum formatur iudicium, quòd
Pœnitens, dum illa signa doloris diri-
git ad Confessarium, tendat per actus
displicentiæ ad diversa objecta, seu
voluntas ejus doleat de peccatis com-
missis, adeoq; cum sit dolor de pecca-
to commisso, consequenter de singu-
lari, ac determinato, propterea etiam
materia remota est determinata &
certa, indicante certitudinem ipso
dolore.

U. Ab-

U. A
abs
te q
ber
pro
ter,
solu
nem
S. N
pro
ter,
stran
qua
ma,
sacr
tum
qua
CHR
to,
trad
Flor
Sess
cran
cerd

V. Absolves absq; conditione, sed per
absolutionem verbalem, ita ut urgen-
te quacunq; necessitate nequeas adhi-
bere signa sensibilia aut scripturam
pro absolvendo aliquo Sacramentali-
ter, igitur etiam in quocunq; casu ab-
solutionem proferes supra confessio-
nem peccatorum duntaxat verbalem.
S. Non adhibebo signa aut scripturam
pro absolvendo aliquo Sacramentali-
ter, quia bene capio non posse mini-
strari Sacramentum aliquod urgente
quacunq; necessitate: sine debita for-
ma, ne cum invaliditate committatur
sacrilegium, adeoque nec Sacramen-
tum Pœnit. sine verbali absolutione,
quæ ut talis est illius forma debita, & à
CHRISTO instituta pro hoc Sacramen-
to, ut habetur ex perpetua Ecclesiæ
traditione & praxi, hinc Concilium
Florent. in Decreto fidei, & Trident.
Sess. 14. c. 3. decernunt formam Sa-
cramenti Pœnit. esse verba, quæ Sa-
cerdos profert, ex quo deducere quam-
cun-

cunq; aliam formam non fore secundum institutionem CHRISTI, & consequenter nec veram: ast non trepidabo absolvere Pœnitentem in aliquo casu non confitentem verbaliter, sed per signa duntaxat, quia CHRISTUS non instituit Confessionem determinatè in verbis, sed solùm instituit illam confessionem, quæ faciat innotescere sensibilibiter dolorem de peccatis: præterea necesse non est, ut materia Sacramenti semper tam expressam contineat significationem, sicut forma, per quam Sacramentum completur, & perficitur, & ideò magis necessarium est verbum ex parte formæ, quam ex parte materiæ; hinc in Cōcilio Arausicano primo, sub Leone I. c. 10. statutum est obmutescentē si confiteatur (intelligo per nutus & signa) absolvendum esse. *V.* Pondera illa verba CHRISTI Joan. 20. c. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & concludere te oportebit, ex vi institutionis non requiri aliam formam.

formam, nisi illam, perquam exprimat remissio peccatorum, certum autem est remissionem posse exprimi non solum voce, sed etiam scripto, nutibus &c. igitur &c.

§. Non nego remissionē peccatorū utique exprimi posse per scripturā, nutus &c. non tamen eo modo, quo exigit Saeramentum, verū alio modo, quia Saeramentū exigit exprimi remissionem perfectē & formali modo, itā ut talis expressio sit formalis significatio remissionis, quod non cōvenit nutib⁹, & alijs signis: observo itaq; accuratē quoad propositam difficultatem, quòd forma Saeramenti Pœnit: fuerit instituta tanquam exercitium personalis jurisdictionis, & tanquam significans effectum Saeramenti: atque itā *ratione primi* excluditur scriptura, quia non est exercitium personalis jurisdictionis, sed solum signum talis exercitij, quando illud supponit, ex quo enim jurisdictio est personalis, non potest à
per-

persona exerceri sensibiliter, nisi per actum externum vitalem sensibilem: addo quòd forma Sacramenti debet significare effectum illi^o pratico modò, scriptura autem non significat pratico modò, quia non causat quod significat: *ratione* verò *secundi* excluduntur nutus & alia signa, non enim possunt significare effectum, utpote habètia significationem imperfectam tantum, confusam, arguitivam, & per modum signi, non autem formalem, per modum formalis expressionis conceptus.

V. Si autem quispiam opponeret dicens: quòd Sacramentum Pœnit: sit institutum per modum iudicij, ipsiusq; naturam sequatur, adeoq; sicut iudicialis sententia potest ferri verbò, scripturâ, nutibus, ità etiam ferri possit sententia Sacramentalis, quid respondebis?

S. Respondebo quòd Sacramentum Pœnitent: sequatur quidem naturam iudicij.

dicij quoad substantialia, non autem quoad modum: iudicium enim Sacramentale est institutum cum speciali modo, siquidem in ipso idem est Reus, & Accusator, fitq; sine testibus, & statur voluntariæ confessioni ipsius Rei, propterea habet etiam specialem determinationem in proferenda sententia, ut nimirum proferatur verbaliter ab ipso Iudice.

QUÆSTIO XX.

An Confessio ut sit Sacramentalis & valida debeat esse secreta?

Vicar. **S**uppono non esse inventum humanum secretò, & ad aures ipsius Sacerdotis peccata explicare Pœnitentem.

S. Anathematizat Sac. Concil. Trid. Sess. 14. c. 5. & Can. 6. dicentes modum secretò confitendi soli Sacerdoti alienam esse ab institutione & mandato CHRISTI, esseq; inventum humanum: quare hanc conditionem ex ipso